199

325

Plurimum Reverende, Clarissime et Doctissime Vir,
D. Patrue ætatem dein Venerande,

Ad duas epistolas, quarum una 26 Febr. altera 21 Martii scripta, postquam utraq. mihi probè reddita, responsum nunc debeo. Prima quando mihi reddebatur, D. Cognatus noster Wachmanq Stadæ harebat; deferebam tn. literas ad Conjugem ipsius, quæ jam tum noverat ipsum intra triduum nobis adfuturu. Ne quid interim viderer negligere, DD. Consules, Meierum et Brandinum adibam, deq. D. Cognati nostri desidio verba apud illos faciebam; tum, ecce, D. Meierus statim proferebat literas Senatûs ad Hamburgenses pariter et Lubecenses huc de re datas, addebatq, omnia hic eò cē disposita, ut, si forte illi quem commendare vellent nostratibus, haberent quod exciperent D. Hunekenius autem maturè commendaret ipsis. Id gratissimum erat peceptu. Postquam huc venit, vidit quanto studio Senatus causam ipsius ageret, instigantibus imprimis et omnem lapidem etiam apud reliquas civitates Hanseaticas moventibus D. Consule Meiero et D. Synd. Wachmanno. Cæterum quo loco res sint post iter Hamburgense absolutum, ipse narrabit. Si gratum fuit, quod ego ipsum in domunculam meam recepi, gaudeo; gratiæ mihi verò pro vili hospitio debentur nullæ: obstrictus sum, Rev. D. Patrue, Tibi tuisq multis nominibus, et hoc ipso tempore Amstelodamo ex manu Tua donu exspecto, quod tantum ē, ut quid respondere pro eo debeam, vix sciam. Cogitavam sanè de Cerevisia nostrate, quam in ultimis tuis emere jussisti; quandoquidem autem tantopere contendis, ut Tuo ære comparetur, morem qdem geram hâc vice, videbis tn. si qua alia ratione posthac me gratum exhibeam, vel saltem id efficiam, ne ingratitudinis notam incurram. Curabitur cerevisia D. V. post septimanam unam durante, cum non possit citius, nautâ deficiente. Si pisces arefacti adhuc dum palato arrideant, qso, facito ejus rei indicium vel verbulo, vel si quicquam aliud ē, quo in Arabia divite degentes à nobis beari queatis. Salute à nostris transcribendâ qdem habeo, fusius a. eam nunciabit D. Cognatus. At quam vellem ipse hâc æstate vel triduum in Belgio exigere, quod me allicit, quoties de eo cogito. Verùm donec Collega meus adeò cū adversa valetudine conflictatur, stationem meam deserere ad paucos ne qdē dies audeo. Deq tn. spero et mihi aliquando concedet numen nonnihil otii. Ei Te, Rev. D. Patrue, tuosq omnes commendo, et labores tuos utilissimos [illegible]. Vale et perge amare

Dedi Bremæ 18 Mart. st. V. 1689.

Rev. Tuæ

obsequentissimum

Hm Coch.

Plurimum Reverendo Clariſſimo
Doctiſſimoq; Viro, Dno Iohanni
Coccejo, SS. Theol: Doctori ejuſ=
demq; Facultatis Profeſſori lon=
gè Celeberrimo, D. Patruo meo
ven: ætatem Venerando.

Leidam

Amicâ manu.